

vox est ad unam subsistentiam seu personam designandam.

Ad 6. D. Nomen *personæ* substantiam includit indirecte, C. directe N. nam directe nonnisi subsistentiam significat illius ejusdemque naturæ, quæ in divinis a ceteris personis possidetur per propriam subsistentiam; ac proinde negatur consequentia. Et ea rursum quam facile catholici se a labe tritheismi mundos servent.

Ad 7. Neg. Vox autem et notio *Dei* indicat natum subsistentem D. Una vel multiplici, id est, tria subsistentia, C. unica tantum ac singulari N. Ex divina enim revelatione novimus naturam divinam trina subsistentia affici.

Ad 8. D. Et hoc ipso, quod infinita sit natura divina, plures admittunt subsistentias, quarum capax non est natura finita, C. obstat personarum pluralitati N. Hinc est quod in creatis pro multiplicitate personarum multiplicantur naturæ et individua, non autem in Deo, qui utpote infinitus potest sub diverso respectu affici, et plures subsistendi modos admittere. Ex eo autem quod natura divina indivisibilis sit, sequitur tantum personas esse indivisas, non autem indistinctas.

Ad 9. D. Si numerus qui exsureret ex partibus divinæ naturæ, induceret compositionem, C. si ex diverso tantum modo subsistendi ejusdem naturæ N. Eo magis quod modi isti non distinguantur inter se nisi relative, et identificantur cum ipsa natura divina.

Ad 10. Neg. Juxta nuper dicta; divinæ enim personæ, non diversa, sed eadem existentia fruuntur, et si modus existendi distinctus sit in qualibet persona (1), ut sæpe diximus, nec tres personæ, proprie loquendo, sunt tria entia, sed idem ens divinum tria subsistentia donatum.

Ad 11. Neg. suppositum, tum quia adhuc quæstio est, num proprietas personalis possit dici perfectio; ad summum enim dici potest eam esse perfectionem relativam, ac mixtam eo sensu quo expositum est in tractatu de Deo (2); tum quia ex identitate hujus proprietatis cum natura, quam unaquaque persona totam possidet, mediate saltem perfectiones et proprietates aliarum personarum secum habet.

II. Inst. Quo prosperiore successu aetas recentior historie, philosophia et philologiae studiis operam dedit, eo difficilis sibi persuadere potuit de veritate dogmatis Trinitatis. Itaque factum est, ut et philosophi et ipsi theologi plus minus ab eo deflecent. Imo eorum, qui formulam publicam tueri volebant, haud pauci variis modis eam sic explicare studebant, ut natura et usus dogmatis intelligerentur. Demum allii doctrinam istam nec cum libris sacris, nec cum sana ratione conciliari posse libere professi sunt. Cum igitur omnino dogmatis de Trinitate historia doceat, quicunque fuerint subtilius illud explicandi conatus, his vel ad *arianismum* vel

(1) Cfr. Petav. *De Trin.* lib. iv, cap. 1, § 5 et seqq.
(2) Infra, col. 550, ad 2.

ad *tritheismum* vel ad *sabellianismum* theologos abductos fuisse, præstat eo dimisso ad saniora nos convertere (1).

Resp. Neg. cons. Nam historia dogmatis de Trinitate, prout a rationalistis traditur, non evincit nisi 1. absolutam necessitatem subjiciendi rationem nostram in obsequium fidei; 2. protestantismum suo fundamentali principio de omnimoda independentia rationis a legitima auctoritate divinitus constituta viam aperuisse omnibus recensitis aberrationibus, 3. theologos, quorum adversarius meminit, non esse nisi protestantes, qui hac in parte ipsorum *Emendatorum sacrorum vestigia* secuti sunt, et facto ipso ostenderunt, unicam viam ad tuendam fidem esse ecclesie auctoritatem; 4. omnes plus minus errasse, quo longius a tali auctoritate deflexerunt, ut spiritus privati commenta sectarentur; nec posse nisi per redditum ad eam ecclesiam, quam eorum majores reliquere, fidem, quam amiserunt, recuperare; 5. non studium historie, philosophiae ac philologiae recentiorem (protestantismi) ad incredulitatem circa hoc mysterium alia christiana religiosi dogmata deduxisse, sed abusum ejusmodi studii, et malam fidem eorum, qui eam historiam consecati sunt, prout ostendimus.

(1) Wegsch. § 91. Quid sentiant sansimoniani de Trinitate, expositum a nobis est in tractatu de Deo; quid vero sentiant ipsum fratres nuperi templarii, placet hic exponere ex ipsorum codice, cui titulus *Levitikon, ou Exposé des principes fondamentaux de la doctrine des chrétiens catholiques primitifs*, Paris 1831, (sic enim impii hi homines se vocant, non contenti profiteri cum sansimonianis pantheismum et autotheismus). Pag. 65, legitur: « Dieu est composé de trois puissances, savoir : Père, Fils et Esprit. Dieu Père est l'être infini, composé de tout ce qui est. Dieu Fils est l'action, produit de la puissance éternelle du Père ou de tout ce qui est, produit infini, qui se manifeste sans cesse en tout, pour tout et partout, et dans l'ensemble de toute ce qui est, et dans les modifications infinies et perpétuelles que subissent les parties de tout ce qui est. Dieu Esprit est l'intelligence, produit de la puissance du Père et de la puissance du Fils, produit infini, qui constitue l'intelligence de l'ensemble ou réunion de tout, et les modifications infinies d'intelligence de l'infini des parties dont se compose cet ensemble ou grand tout, etc. Les trois puissances dont je viens de parler, ne pouvant pas exister l'une sans l'autre, forment dans leur trinité une puissance infinie, une et indivisible, qui est la puissance universelle ou Dieu. Conséquence : chaque portion du grand tout, ou Dieu, devant nécessairement participer aux puissances de ce même grand tout, ou Dieu, chacune des portions infinies du grand tout doit nécessairement jouter d'une portion de son existence, de son action et de son intelligence infinies, quelles que soient d'ailleurs les modifications auxquelles peut être soumise à l'infini chaque portion du tout, tant par rapport à sa manière (état ou puissance) d'être, que par rapport à son état ou sa puissance d'action ou d'intelligence. Je crois à la vérité de la religion catholique, qui nous a été transmise par Jésus, etc., En novum philosophem, quod valde arridere debet nostris rationalistis, si quidem et templarii protestantur se credere in Deum et Jesum Christum, sed ad saniora se converterunt, nempe pantheismum : et in hoc agnoscunt Trinitatem. En quo devenerat humana ratio sibi relicta.

CAPUT III.

DE VERBI SEU FILII DIVINITATE ET CUM PATRE CONSUBSTANTIALITATE.

Etsi valde affines sint errores veterum arianorum et socinianorum, aliquod tamen inter eos discrimen est. Etenim veteres arianii directe impugnarunt divinitatem Verbi seu Filii, ejusque cum Patre consubstantialitatem, ideoque indirecte divinitatem Christi; recentiores autem sociniani directe impugnant divinitatem Christi, indirecte autem divinitatem Verbi.

Rursum arianii, prout omnibus hereticis contigit, nunquam sibi constiterunt; ab initio enim Verbum creaturam dixerunt, et in tempore conditum; postea vero creaturam quidem, sed ab aeterno procreatum ex non extantibus autumarunt; magis deinde magisque a primavo errore deflectentes, divinitatem etiam ei tribuerunt, sed inferioris dignitatis, et diversam ab ea, quam Pater habet; sed nunquam ad ducti sunt, ut ipsum Patri consubstantiale profite rentur (1).

Semariani juxta recentiores criticos veram fidem circa Filii divinitatem tenuerunt; sed in eo peccabant, quod abhorrent a voce *ἐποντός* seu *consubstantialis*; ceterum circa dogma recte sentiebant. Hinc est quod inter orthodoxos passim jam recenseantur (2); etsi a pervicacia excusari nequeant in rejicenda fidei tessera, ab ecclesia consecrata ad secerne dos catholicos ab hereticis (3).

Rationalista et biblici neoterici omnem arianam

(1) Cfr. Petav. *De Trin.*, lib. I, cap. 7 et seqq. Vide etiam Chr. Lupi *dissertationem proæmialem ad Syn. Nicen.* tom. I, opp. cap. 12 et seqq.

(2) Cfr. Nat. Alex. diss. 14, in sacc. 4, *De voce ἐποντός*, ubi exponit diversum sensum, quo vox ista accepta est: tum addit, per eam exprimi fidem Nicenam aquæ ac voce *ἐποντός*, quosdam episcopos contendisse, ac semarianos dictos hac de causa, quod vocem *ἐποντός* respuerent. Hos autem recte de fide sensisse, ac proinde catholicos fuisse. Cons etiam Maran, op. cit. lib. II, cap. 6, num. 5 et lib. IV, cap. 52, ostendit falso cognomine semarianos dictos fuisse episcopos illos, qui vocem *ἐποντός* re jiciebant, quum in dogmate catholicico adstruendo eum ceteris omnino convenientem. Hic ipse doctissimus auctor jam pridem, nempe anno 1722, dissertationem ediderat *Sur les semiariens*, in qua novam editionem operam s. Cyrilli Hierosolymitan, a P. Touttè adnotatam, defendit adversus censuram PP. Trevoliensium, in iis qua ille scripsit in diss. I, premissa operibus s. Cyrilli, presentim cap. 5.

(3) Res semper periculi plena est, velle a recepta et consecrata ab ecclesia loquendi formula recedere. Hæc enim unica fuit ratio, quare in suspicionem arianæ heresios venerunt apud non paucos Patres episcopi illi, qui nunquam vocem *homousion* adoptare voluerunt, etsi dogma per vocem illam expressum, ut dictum est, proferrentur. Quanquam enim verum sit, quod S. Hieronymus scribit in *Dialogo adversus Luciferianos*, num. 34: *Non erat curæ episcopis de vocabulo, cum res esset in toto, quia, ut optime animadvertisit S. Gregorius Naz. Epist. xxvi, non in verborum sono, sed in sententiis veritas est; atamen certum est, ecclesiam semper sollicitam fuisse in sartis teologis custodiendis nonnullis formulis, juxta Apostoli monitum, n. ad Tim. I, 15: Formam habe sanctorum verborum; eo vel maxime, quod heretici et novatores omnes sub ambiguitate quarundam vocum,*

impietatem et socinianismum non solum amplexati sunt, sed extenderunt, ita ut ariani et sociniani praestis pī ac religiosi videri aliqua ratione possint. Nam non solum Christum ut purum hominem cum photinianis et samosatenis traducunt, sed eo progressi sunt, ut dicant, Verbum seu Dei Filium non aliud esse nisi quoddam Dei attributum, non autem personam subsistentem; Christum vero ut *Theurgum* passim habent, qui se accommodavit præconceptis populi sui ideis, nec valuit ab omnibus erroribus popularibus contribules suos abducere; aliaque his similia blasphemantes effutunt.

Quæ directe spectant ad Christum ejusque divinitatem reservantes ad tractatum de Dominica Incarnatione, hic nos tuendam tantum suscipimus Verbi seu Filii divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem, etiam ei tribuerunt, sed inferioris dignitatis, et diversam ab ea, quam Pater habet; sed nunquam ad ducti sunt, ut ipsum Patri consubstantiale profite rentur.

Ne vero propositiones absque necessitate multiplicemus, in tuto posita veritate fundamentali divinitatis et consubstantialitatis Verbi seu Filii, sive ex Scriptura, sive ex sensu traditionali, per modum collatoriorum deducemus ipsius peculiararem subsistiam, et veritatem ac rectitudinem Nicenæ definitionis. Sit igitur

PROPOSITIO I. — *Verbum est vere ac proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantiale.*

Hæc propositio de fide est, ut patet ex symbolo Nicenæ, quo jubemur credere in *Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia aeternum, consubstantiam Patri*. Sie vero ejus veritatem evincimus: 1. Ex demonstratis, in praecedentibus propositionibus tres sunt in una eademque divina essentia persone distinctæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ergo, concludimus, Verbum est vere et proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantiale. Hinc illa omnia, quæ illuc adduximus, tum ex Scriptura, tum ex traditione ad demonstrandum dogma ss. Trinitatis, Verbi patriter seu Filii divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem pariter demonstrant.

2. Directe præterea id evincimus ex iis, quæ Filium peculiariter afficiunt, quibus jam allata majus robur accipiunt ac firmitatem. Ac primo quidem huc spectat initium Evangelii s. Joan: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt.* Ex his habemus quatuor: Verbi aeternitatem, erat enim in principio seu ante omne tempus; habemus Verbum distinctum a Patre, si quidem erat apud Deum; habemus ejus divinitatem, nam Deus erat Verbum; habemus denique virtutem ejus creatricem, etenim omnia per ipsum facta sunt.

Huic evangelii initio congruunt omnia, quæ in ipsius evangelii decursu de eodem Verbo carne facta dicuntur et ita connexa inter se sunt, ut illo positæ in quæ optimum sensum præ se ferunt, soleant se tegere, et sic ineautis venenum propinare.

nativa sua significatione, omnibusque metaphoris remotis, omnia cohærent, illo sublatu, cetera intelligibilia fiant; ut cum dicitur, *Filius unigenitus, qui est in sinu Patris* (Joan. 1. 18), unigenitus Filius Dei (III, 16), qui sit in cælo, dum loquitur in terra (Ib. 13), qui faciat quæcumque Pater suus facit (v. 19), qui Patrem suum dicat Deum, æqualem se faciens Deo (Ib. 18), qui sibi tribuat potestatem homines ad vitam resuscitandi (VI, 40 et alibi passim), qui aperte profiteatur, se ex cælo descendisse (Ib. 58), exivisse a Deo (XIII, 3; XVI, 27), exivisse a Patre (Ib. 23), unum esse cum Patre (X, 30), se in Patre esse et Patrem in se (Ib. 38), se p̄æxstitisse non solum Abrahamo (VIII, 58), sed et mundi creationi (XVII, 5), qui prædictet se esse viam, veritatem et vitam (XIV, 6), qui fidem in se tanquam in Filium Dei exigit (IX, 35; XI, 26 et 27), et adorationem admittat (Ib. 58); qui ut credatur filius Dei, totum Evangelium scriptum est (XX, 45). Unde sic ratiocinamus: Ille vere et proprie Filius Dei est, ac Patri consubstantialis, qui Deus, Filius Dei, æqualis Deo dicitur et creditur et adoratur; qui eadem æternitate, et potestate prædictis perhibetur cum Patre suo; qui a Deo procedere, aut exire dicitur, et ita tamen ut cum eo sit, unum sit, in eo sit, etc.; atqui ex allatis tale est Verbum seu Filius; ergo.

His consonant quea idem apostolus et evangelista atque Scriptores reliqui sacri de eodem scribunt. Joannes quidem (I Ep. I, 1 et seqq.) eum vocat *Verbum vitæ et vitam manifestatam*, nempe in carne, vitam æternam, quea erat apud Patrem et apparuit nobis, et cap. V. v. 20, rursum eum vocal, *Verum Deum et vitam æternam*; reliqui tres evangelistæ referunt, eum fuisse morti adjudicatum, eo quod se dixerit *Filiūm Dei*, ut Matth. XXVI, 64; Marc. XIV, 62; Luc. XXII, 70, et eo quidem sensu, ut blasphemiae reus fuerit habitus, et juxta Legem Mosaicam, prout eam pharisæi intelligebant, debuerit mori (Joan. XIX, 7). Quare apostolus Paulus non solum eum vocal *Filiūm Dei propriū* (Rom. VIII, 52), *Filiūm suūm*, nempe Dei (Gal. IV, 4), *Deum* (Rom. IX, 5), *Dominum gloriæ* (I Cor. II, 8), *magnum Deum* (Tit. II, 13), *Deum Salvatorem* (Ib. III, 4 et alibi passim), sed præterea (Hebr. I, 2 et seqq.) eum *Filiūm dicit*, *per quem Deus fecit et sacerdotes; qui sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis sue, purgationem peccatorum faciens*. Quibus verbis tum æternitatem ac omnipotentiam, seu omnitudinem potestatum, tum divinam naturam hujus Filii Dei apertissime prædicat.

Que quidem aliaque permulta, quea brevitatis gratia prætermitto, adeo perspicua sunt, ut rationalistæ ipsi inficiari non potuerint, tum Christum sibi, tum apostolos et evangelistas Christo denominationem *Filiū Dei* una cum divinis attributi vindicasse (1). Ex

(1) *Verum enim vero*, scribit Wegscheider § 83, *quoniam attributa divinis simillima* (quare non eadem?) *cum denominatione ista Filiū Dei conjuncta, et dignitatem divinæ proximam* (dicere debuisset eandem) *Christi*

quibus rursum concludimus: Vel Christus et scriptores Sacri deceperunt nos, vel fatendum est Verbum seu *Filiū Dei* vere et proprie Deum esse ac Patri consubstantiale. At primum dici nonnisi impie ac absurdè potest; quia Deus ipse auctor esset deceptionis nostræ, et Christus spectari non posset ut veritatis magister et veritas ipsa et illuminator mundi, sed esset pessimus veterator, qui nos in turpem idolatriam conjecisset; cui, ut a pluribus observatum est, longe præferendus esset Mahumetus ipse, qui nonnisi Deum singularem aperte docuit, seque ejus prophetam, omnemque prorsus idolatriam sustulit. Restat igitur, ut Verbum vere et proprie Dei Filiū, Deum Patrique consubstantiale profiteamur.

DIFFICULTATES.

I. Obj. *Ἄρτος* seu Verbum, de quo Joannes primus et solus locutus est, quasi carnem induisset, non est nisi philosophema, quo ipse usus est ad summe admirandi magistri virtutem, oculis hominum sublatam, sublimioribus phantasias imaginibus exornandam. Hoc autem philosophemate indicat *λόγος*, hoc est, Dei vim spiritualem, scilicet rationalem, sapienter operantem, ante mundum conditum e Deo quasi progressam, et sub personæ, seu substantiæ singularis specie sæpiissime cogitatam, quea a *Spiritu Dei*, scilicet *Sancto Iudeorum palæstinensi* (Joan. I, 33) priorumque evangelistarum (Matth. III, 16; Luc. I, 35 et alibi), et a *τοποῖς* seu sapientia in Proverbii (I, 20 et seqq. VIII, 22) et apocryphis (Sap. IX, 1-4; XVIII, 14-18; Siracidis seu Ecclesiastici I, 6-9; XXIV, 4 et seqq.) commemorata, haud longe abest, imo interdum eadem videtur. Similem imaginandi normam secuti Paulus et auctor Epistolæ ad Hebreos haud obsecure tradiderunt, Deum condidisse mundum per naturam Messiae sublimiorem (Coloss. I, 16; Heb. I, 2 et seqq.), quea ipsa ante omnia creata sit (Coloss. I, 15, collat. 18; Prov. VIII, 22; Eccli. XXIV, 14); et postequam tempore constituto ad conditionem Jesu servilem sese demisisset, peracta hominum expeditione (Heb. I, 5), in cælum suscepta ac Patri quidem subjecta (I Cor. III, 22; XI, 5; XV, 25 et seqq.; Ephes. I, 22; Heb. III, 2), sed summa præ omnibus spiritibus creatis dignitate a Patre sit exornata (Eph. I, 20-25; Philipp. II, 9; Coloss. I, 15 et seqq.; I Tim. III, 16; Heb. I, 2 et 4) (1). Ergo.

Resp. 1. Ergo Scriptores sacri, ut indulgent phantasias et imaginationi, nos deceperunt; et universa ecclesia per XVIII saecula in turpissimo errore versata est, donec orientur Germaniæ sidera Paulus, Suskindius, Eichhorn, Semlerus, Bertholdus, Rosenmüller, Kuinoel, Wegscheider aliique, qui deum sensum nobis reserarent, quo Joannes, Apostolus Paulus ceterique Scriptores sacri eas voces

stus et ipse sibi ut Dei filio, in dictis nonnullis ei attributis (notetur istud attributis juxta perversam rationalistarum intelligentiam), *et Apostoli Christo vindicaverint, dubitari nequit*. Pretiosa certo est ista confessio ex ore adeo impiorum hominum elicita.

(1) Wegscheider § 83.

usurparint. Atqui tamen doctores isti mirifice etiam inter se dissentunt, et ab aliis ejusdem scholæ impugnantur (1).

(1) Ut habeatur aliquod specimen summae discrepantiae, quea inter neotericos biblicos rationalistas viget circa interpretationem vocis *λόγος*, que initio evangelii Joannis occurrit, placet nonnullas sententias promere ex Georgio Rosenmüller, tom. II, in cap. 4 *Joan. Juxta Clericum* aliosque cum ipso, Joannes voce *λόγος* usus est, ut se opponeret iis, qui eo tempore voces nonnullas platonicas e Philonis sumptas commentariis, et nominatis *τὸν λόγον* christiana ac judæica religio inferrent, et phrases a Philone usurpatas ad orthodoxum sensum revocarent. Quod vero attinet ad hujus nominis significacionem, nonnulli putant *τὸν λόγον* dici rationem eo modo, quo dicitur *lux, vita, veritas*; et laudent pro hac sententia Origenem, et Epiphanius, illum in *Comment. in Joan.* pag. 40 et 41, istum *Hær. LXXXI*, qui asserit Christum dici *τὸν λόγον*, quod sit *Patris interpres*. Alii censent, Christum dictum esse *λόγον*, eo quod sit auctor rationalium creaturarum, et quod hominibus decreta Patris revelaverit; vel etiam, quod sit auctor *doctrinae melioris, summus veræ sapientiae auctor et doctor*; prout placet Dördelin, Storrio, Eckermann. Id alii rejiciunt, eo quod nuspiam in tali sensu reperiatur. Alii contendunt, Joannem ex paraphrasibus chaldaicis *λόγοι* desumptasse, ubi sæpiissime *בָּרוּךְ־אֱלֹהֵינוּ־יְהוָה* pro *τὸν λόγον* dicitur *Verbum Domini*. In hac voce, qua Chaldaeus utitur, præter descriptionem et periphrasin *Dei summi nihil inesse plerisque* videtur. Sed Judæos per suum *בָּרוּךְ־אֱלֹהֵינוּ־יְהוָה* significare voluisse divinam quamdam *עַבְרָאצָס* quam a Deo genitam, eique proximam atque simillimam judicarunt, ex V. T. chaldaicis paraphrasibus demonstravit Car. Aug. Theophil. Keil, *De doctoribus veteris Ecclesie culpa corruptæ per platonicas sententias theologicæ liberandis comment.* n. in opus, quod inscribitur *Acad. tom. n. pag. 483 et seqq.* Sic etiam Langius, *Die Schriften Johannis*, id est: *Scripta Joannis*, tom. n, pag. 47. Scripsit etiam *De cabballisticis Judæorum opinionibus ad Messiam spectantibus, quas ad christianos transisse videntur*; Frid. Münter; *Handbuch der alten Christl. etc. seu: Manuale antiquorum Christ. dogmatum historie*, 1802, part. 1, pag. 549 et seqq. Contra vero Tittmannus, Cramerus et Ernestius in *Nova Theol. Bibl.* seu in *Nova theolog. bibl.*, tom. iii, pag. 429 et seqq. ita explicant, ut *λόγος* hoc quidem loco (abstractum pro concreto) sit *promissio* et per metonymiam *promissus*, quo sensu apud Hebreos *κύρος* et *λόγος* apud LXX haud raro occurrit. Inter recentiores plerique intellexerunt Sapientiam sive rationem Dei, eamque personificatam, ut Joan. Frid. Guil. Jerusalem, *Nachgelassene Schriften*, etc. seu, *Scripta posthuma*, part. 1, app. ad 3 consid. pag. 618; Jos. Fr. Christ. Loeffler, *Kurze Darstellung*, etc. seu *Brevis expositio modi, quo orta est doctrina de Trinitate*, etc., alioquin passim. Sic apprime inter se convenientes sublimes isti doctores in re tanti momenti. Cfr. etiam Kuinoel, *Com. in libros N. T. historicos*, vol. iii, in prolegomenis, § 7 *De λόγῳ Joannis*, ubi adhuc fusius et copiosius recensentur istorum doctorum placita, quea sese invicem destruunt, adeo ut nullibi consistere liceat; omnes tandem in eo unice convenient, ut veram ac proprie dictam divinitatem hujus *λόγου*, ac proinde Christi, denegent. Sic enim fert progressus apud hos scriptores. Quod attinet ad antiquiores unitarios, non magis inter se uniformes sunt in expositione hujus initii evangelii s. Joannis. Interpretatio Socini absurdis figuris et asseverationibus luxuriat; interpretatio remonstrantium unionem moralem cum hypostatica, Deum Patrem cum Filio confundit; iisdem incommodis urget expositio Clerici. Cfr. Maran, par. ii, cap. 7 et 8. Crellius, qui sub Artemonii nomine librum edidit, cui titulus: *Initium Evangelii Joannis*

ex antiquitate ecclesiastica restitutum, eo usque progressus est, ut mutaverit verba *Deus erat Verbum*, in hec: *Dei erat Verbum*. At vero omnes codices, versiones, patres græci et latini constanter legunt *Deus*. Vapulat proinde Crellius a Bengelio et Wetstenio aliquis criticis biblicis.

(1) Et hic magno eruditio apparatu id ostenditur de græcis apud Homerum, *Iliad.* lib. I, 279; II, 196 et seqq. *Odyss.* xi, 567, epitheta regum *Dei genitus, Deo altus, Dei filius*; de *Ægyptiis*, apud quos reges deorum nomine ornati sunt, teste Diodoro Sicalo, lib. I, cap. 90; qui de *Æthiopibus* lib. III, *ibid.* cap. 5, 5, similia referit. De Persis ostendit Brissonius, *De regio Persarum principatu*. Et ad hoc ostendendum certant inter se Gesenius, *Comment. über den Jesaias* etc. seu *Comm. super Isaiam*, Lip. 1821, et de Wette, *Comment. üb. die Psal.* seu *Comment. in psal.* edit. 2, ad iv. 1. Sed frustra defatigantur in his congerendis, quoniam notissima haec sint, neque solum apud memoratas gentes in usu illud fuerit, verum etiam apud romanos; ita ut imperatores etiam post premulgam religionem christianam passim *divi* dicerentur. Sic apud Judæos magistratus et principes Dii interdum vocati sint. At quid inde? Apud nonnullos populos, reges et principes vel assentatione vel analogia quoniam ob auctoritatem, quam super ceteros obtinebant, aliave quacumque ratione Dii vel Filii Dei, etc. vocati sint; ergo eodem sensu iisdemque rationibus

hominibus piis. 3. Christo autem sensui ideali et metaphoricō, ita ut hoc nomen non diserte ad natūram referendum sit, sed ad virtutem ejus eximiam, et Dei specialem amorem erga ipsum, et ad Messianam dignitatem. 4. Neque aliud significant epitheta addita Filie Dei, *Unigeniti*, *dilecti*, *proprii*. 5. Generationis enim notio nonnisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri potest (1). Ergo.

Resp. Neg. Antec. Ad 1. D. Ad exclusionem notio-
nis proprie dictae, N. secus Tr. Nec enim contendunt catholici, semper propria significacione accipi in Scripturis denominationem *Filiī Dei*; verum ex eo, quod interdum impropre accipiat, inferri nequit, eam nunquam proprie usurpari; aliquid idem in-
ferre licet de vocibus *agni*, *leonis*, etc. quin et Dei ipsius. Id ipsum dicatur de voce *primogeniti* Davidi attributa, cuius sensus clare patet ex contextu, cum dicatur, *Primogenitum ponam illum, excelsum præ re-
gibus terræ*. Itaque relative sumit ad cæstros reges; si tamen de David, et non potius de Christo, cuius figuram David gerebat, haec dicuntur.

Ad 2. D. Tribuitur etiam hominibus piis, sed diversa ratione ab ea, qua tribuitur Christo, C. ea-
dem ratione N. Nunquam enim de hominibus piis prædicantur, quea prædicantur de Christo, ut ex pro-
bationibus constat.

Ad 3. Neg. Hæc est enim gratuita rationalistarum assertio, quam ipsi a socinianis mutuati sunt, nec tam
solidius probant, et omnino violenta. Quæcumque enim fuerit Christi virtus aut munus, si natura Deus non esset, neque Deus, neque Filius Dei dice-
retur, neque divinae ipsi tribuerentur proprietates, que uni Deo competunt. Adde, sæpius in libris N. T. distingui appellationes Christi, de *Filiis Dei*; cæteris omissis, Joannes (XX, 31) ait: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei*. Deinde, si synonyma hæc sunt, quare tanquam blasphemum Christum lapidare voluerunt Judæi, eo quod sè dixerit Filium Dei? et quare eum juxta legem morti addixe-
runt, eo quod Filium Dei se fecerit (2)?

Christus seu Verbum Deus dicitur et *Filius Dei*? Quis ferat hanc argumentandi rationem? Jam vero talis est, qua utuntur rationalistæ sub magnifico eruditio-
nis indigesto apparatu.

(1) Wegsch. ibid. § 82.

(2) Hic duo notanda sunt: 1. Fere semper in N. T. distingui has voces, *Christus* et *Filius Dei* (ut loc. cit. ex Joanne; Matth. XVI, 16; XXVI, 65; Marc. I, 4; XIV, 61; Joan. VI, 69; XI, 27; Act. VIII, 57 etc.), ut pateat has voces minime esse synonyms; sed perhiberi Messiam ut verum Dei Filium. 2. Judeos hodiernos hac de causa adhuc contendere blasphemum, et iure propterea morti addictum fuisse Christum Dominum a patribus suis. Ad cuius assertionis probationem satis sit, duos afferre testes, qui rejici ab adversariis non possunt; prior est Orobius in *Amica collatione* cum Limborchio; in tertio enim scripto eum accusat, *quod Jesus affectaverit deitatem vel cum Deo æqualitatem...* *Ex servo se fecerit Dominum, ex creatura creatorem, et erba sua prædicaverit, non a Deo iussa* (§ 8, pag. 109 et seqq. et pag. 291). Hinc concludebat (ib. § 5): *Dato impossibili, quod Messias, quem expectamus, eam*

Ad 4. Neg. ob eamdem causam. Responsio patet ex modo dictis.

Ad 5. N. vel D. Id est, quoad modum, C. quoad rem, seu originem viventis a vivente principio con-
juneto in similitudinem naturæ N. Ludunt propterca adversarii in ambiguo, dum asserunt nonnisi analo-
gica ac symbolica ratione enunciari posse generatio-
nem in divinis; et confundunt rei substantiam cum modo, quo generatio in creatis perficitur, qui certo in Deo seu in personis divinis non reperitur, nec re-
periri potest.

I. Inst. 1. Del nomen (Joan. I, 1) non Jesu Christo, sed λόγῳ tribuitur. 2. Præterea Dei nomen in N. T. extenditur etiam ad homines, reges ac potiū Jane ad Regem Messiam. 3. Jesus nusquam ipse se Deum aut λόγον divinum nominavit. 4. Atque ipso filius di-
serte discernitur ab uno vero Deo (Joan. XVII, 3; cf. XI, 42; Matth. XIX, 16 et 17; Marc. X, 18; XI, 32; coll. 34; Luc. XVIII, 19; Matth. XX, 25). 5. Di-
cernitur etiam a Patre (Joan. XIV, 28), ab illo, qui dedit ei omnem claritatem (lb. XVII, 22 et 24), qui dedit ei habere vitam in semetipso (lb. v. 26), 6. quem itidem suum ipsius et suorum Deum appellat (lb. XX, 17; cfr. I Tim. II, 6; VI, 15-18), 7. et nulla quidem duplicitis ejusquam in Christo naturæ men-
tione injecta. 8. Discipuli Jesum nusquam Deum sa-
lutarerunt; effata vero, quæ in subsidium dogmatis probandi afferuntur, vel dubiae sunt lectionis (Act. XX, 28; I Tim. III, 16), vel incerte saltem interpre-
tationis (Luc. I, 16 et 17; Joan. XX, 28; I Joan. V, 20; Rom. XI, 5; Philipp. II, 6; Tit. II, 18; II Pet. I, 1 et 2). Nihil igitur inde extundi potest (1).

doctrinam Israëlem diceret, jure foret ut pseudoprophetæ lapidandus. Alter vero est Salvador, qui i*opere*, quod inscripsit *Histoire des institutions de Moïse*, Paris 1828, tom. II, lib. IV, ch. 3, *Jugement et condemnation de Jésus*, pag. 82, huc scribit: « Jésus... parle de lui-même comme d'un Dieu; ses disciples le répètent, et la suite des événements prouve avec la dernière évidence qu'ils l'entendaient ainsi. C'était un horrible blasphème aux yeux des citoyens, etc. » Et ibid. in nota: « L'expression *Fils de Dieu* était d'un usage ordinaire chez les Hébreux pour marquer l'homme d'une haute sagesse, d'une haute piété. Ce n'est point dans ce sens que s'en servait Jésus-Christ; elle n'aurait pas causé une si vive sensation. » Et clarius adhuc pag. 87: « Enfin le grand-pontife s'adresse à l'accusé et lui dit: Est-il vrai que tu sois Christ, que tu sois Fils de Dieu? Je le suis, répond Jésus... A ces mots, Caïphe déchire ses vêtements en signe de désolation; vous l'avez entendu, on délibère. La question, déjà soulevée parmi le peuple, était celle-ci, Jésus s'est-il fait Dieu? or le sénat jugeant que Jésus, fils de Joseph, né à Bethléem, avait profané le nom de Dieu, en l'usurpant pour lui-même simple citoyen, lui fit l'application de la loi sur le blasphème, et de la loi ch. 13 du Deut. et art. 20, ch. 18... la peine capitale prononcée. » Hos quidem suo loco refellemus; sed interea ex his patet, quoniam sensu Judæi antiquiores et recentiores semper accep-
perint verba Christi, cum se dixit Filius Dei; et ex istorum agendi ratione invictum et ineluctabile exsurgit adversus impietatem, subtilitates, metaphoras, figuræ, etc. unitariorum et rationalistarum ar-
gumentum.

(1) Wegsch. § 83.

lectionis et interpretationis, quia nempe perstringunt ipsius oculos (1).

H. Inst. Neque demum rem conficiunt *perfectiones divinæ*, quæ Christo adscribuntur, nec *opera divinæ* eidem attributa, nec *honor divinus*. Non *perfectiones* ille scientiæ, ex. gr. absolute, omnipotentiæ, etc. Quia 1. partim a Patre illi communicata dicuntur (Matth. XI, 27; XXVIII, 18; Jean. III, 35; V, 26; XVII, 2 et 7); 2. partim divinae naturæ consortium haud necessario probant. Etiam si enim Filius Dei *primogenitus in multis fratribus* (Rom. VIII, 29), *imago et forma Dei* appelletur (Philipp. II, 6), christiani tamen *conformes imaginis filii sui* (Rom. VIII, 29) dicuntur, et illud *plenitudo divinitatis* (Coloss. II, 9) in ipsis christianos transire docetur: *Et estis in illo repleti* (v. 10). 3. Non *opera divina*, cujusmodi sunt *creatio, conservatio, etc.* quia ea Jesu Christo tanquam λόγῳ vel Messie, quasi summo Dei administristro, non tanquam summo Deo assignata sunt (cf. Joan. XVII, 5 et 4). 4. Non denique *honor divinus*, quo colendus Dei Filius præcipi videtur. Omnia enim ejusmodi dicta dubiae sunt interpretationis; neque Christus unquam adorationem divinam sibi poposci, quippe qui Deo Patri eamdem ipse præstiterit (Matth. XXVI, 59; Jean. XVII), et discipulos ad Patrem tantum preces convertere jussit (Matth. VI, 9); neque ullius exstat Apostoli exemplum, Jesum tanquam Deum vere adorantis; quæ enim dicunt Apostoli, gratiam christianis et a Christo et a Patre apparetantes, nihil repugnant. Ergo.

Resp. Neg. A. Ad 1. D. Tanquam Filio, quem genuit, ut supra dictum est, C. ut creaturæ N. Hæc rationalistæ non ostendunt; nam etiam catholici docent Verbo seu Filio omnia communicata esse, non exclusa ipsa substantia divina, quam Filius per generationem a Patre accepit, ideoque hæc ne attingunt quidem catholicam doctrinam.

Ad 2. Neg. Neque obstat, quod participatæ et communicatae perhibeantur ipsis creaturis; cum longe diversa ratione Filius dicatur *imago et forma Dei*, et ille, in quo plenitudo divinitatis, inhabitat corporaliter, ab illa, qua christiani dicuntur *conformes imaginis filii sui*, aliaque ejusmodi. Filius enim ita dicitur *imago*, ut sit etiam splendor gloriae Dei, per quem Deus omnia creavit, qui portat omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, etc.; sic dicitur in *forma Dei*, ut non rapinam arbitratus sit esse se aequalē Deo, quæ nunquam de creaturis dicuntur; neque unquam christiani dicuntur repleti divinitate, aut innuitur in ipsis *inhabitare divinitatem*.

(1) His addatur etiam confusio eorum neotericorum bibliorum, qui fatentur ex seniorum judæorum sensu λόγῳ non solum vim, mentem et sapientiam, sed etiam naturam, quādā aut subjectum quoddam esse, ut ex Philone ostendunt Keil in cit. *Comment.* p. 89, tum p. 77 et seq.; Kleuker, *Ueber die Natur. u. d. etc.* seu *De natura et de origine doctrina emanationis apud Kabbalistas*, p. 7, seqq.; Berthold, *De Christologia Judæorum Jesu apostolorumque aetate*, Erlang. 1811, pag. 194 et seqq., nec non Langius, loc. cit. pag. 49 et seq.; Ziegler in *Gableri ephemeridibus*, tom. IX, p. 15 et seqq.; Ammon progr. *De prologi Joannis Evangelista fontibus et sensu*, Goett. 1800. Cfr. Rosenmüller, *Schol. in Joan. tom. II, in cap. 1*; Kuinoel, op. cit. proleg. p. 96. et seqq., vol. III, edit. 4, Lips. 1825.

(1) Sic enim ad nauseam usque regerit § 85: « Ex hac tanta effitorum de Filio Dei diversitate et ambiguitate luce clarius patet, Scriptores Sacros sancta quadam magistri reverentia commotis esse, ut ad summam ejus virtutem atque excellentiam describendam aequalibusque commendandam, ex judæorum et alexandrinorum et palestinensium de virtutibus seu viribus quibusdam divinis, sub personarum specie cogitatis, deque λόγῳ et sublimiori Messiae nature opinionibus in Jesum transferrent. »

poraliter, ut de Christo dicitur, sed divitiis pleni spiritualibus et gratia per Christum.

Ad 3. Neg. Nam hæc omnia Christo seu Verbo ut summo Deo ita tribuuntur, ut Deus expresse dicatur Joan. I, 1. Adde creationem et conservationem non posse simplici creaturæ communicari, quæ potentiæ infinitam postulant. Ad textum eit. Joan. XVII, 3, qui ad rem non est, jam respondimus.

Ad 4. Neg. Certe omnia, quæ adversariis non faciunt, semper sunt dubia interpretationes; nec ullam hujus assertionis rationem afferunt; falsa vero, violenta et absurdæ, quæ ipsi communiscuntur, certa omnia et evidenter sunt. Falsum est Christum non sibi poposcisse divinos honores; ex formula baptismi contrarium constat, ut superius diximus; admisit adorationem cœci nati (Joan. IX, 38) ac apostolorum omnium (Matth. XXVIII, 17, et alibi). Quod si ipse adorationem Patri præstitit, præstitit in forma servi seu in natura humana. Et en quomodo semper in doctrina catholica omnia apprime cohærent, ac secundum, quæ videntur contrarie dicta de Christo, apte concilientur! Nulla vero ratione cohærente possunt in systemate socinianorum et rationalistarum.

Sic, discipulos suos docuit orare Patrem velut fontem totius divinitatis, vel Deum, prout pater communis omnium hominum est, quo sensu preces ad tres personas simul diriguntur. Addatur Christum docuisse discipulos suos etiam seipsum orare (Joan. XIV, 14). Ergo falsa est adversarii assertio, prout falsa ei est, quæ affirmat, apostolos nunquam Christum vere adorasse; nos contrarium evicimus in resp. ad 4. Apostolus præterea (Rom. XIV, 11) ex persona Christi dicit: *Mihi flectetur omne genu*; et (Philipp. II, 10): *In nomine Jesu omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernum*. Quid hæc sibi volunt nisi veram et propriam adorationem?

Non repugnat autem gratiam postulari a Christo sicut et a Patre, quia una est Patris et Filii divinitas, ideoque unus gratiarum fons; repugnaret autem, si Filius non esset nisi creatura, ut patet.

III. Obj. ex veteribus arianis. 1. Sapientia creata dicitur Prov. VIII, 22, et iterum Eccli. XXIV, 14; 2. Christum propterea vocat Apostolus primogenitum omnis creaturæ (Col. I, 15). Qui 3. de se testatur (Joan. XIV, 28): *Pater major me est*. 4. Se negat bonum esse, bonitate nempe essentiali, quæ uni competit Deo (Math. XIX, 17). 5. Ignorare se fatetur judicii diem (Mare. XIII, 32). Et sane 6. Pater secundum substantiam ingenitus dicitur; ergo Filius, qui genitus est, diversæ est substantia a Patre. 7. Quod si dicatur Pater gignere Filium, gignitne voluntate an necessitate? Si necessitate, valde miser est; si voluntate, ergo potuit non gignere. 8. Adde, nec posse Filium dici aeternum, quia antequam nasceretur non erat. Nativitas præterea 9. denotat dependentiam, quæ Deo non competit, 10. nec esset a se. Ergo.

Resp. Ad 1. D. Creatione improprie dicta, seu generatione, C. proprie dicta N. Fortes creaturæ for-

tibus et bonis, inquietabat Horatius; et Virgilius, Aeneid. X: *Sylvicole Fauno Driope quem nympha crearat*; in hebraica autem veritate in priori textu legitur posedit (1).

Ad 2. D. Causalitate et dignitate, vel in natura assumpta, C. in ordine ad creaturas N.

Ad 3. D. Ratione originis, ut exponunt patres greci, vel ratione humanae naturæ, ut patres latini explicant, C. ratione naturæ N.

Ad 4. D. Ad mentem juvenis, cui respondit, G. simpliciter N.

Ad 5. D. Ad manifestandum, C. absolute N.

Ad 6. Neg. Patrem dici ingenitum secundum substantiam; sed ita vocatur per negationem originis ab alio, ut suo loco expositum est (2).

Ad 7. Dico Patrem gignere necessitate et voluntate; gignit enim necessitate naturæ et voluntate consequente, ut passim dicitur, quæ tota fertur in hanc generationem; sic nos voluntate et necessitate prosequimur felicitatem in genere, nec tamen hac de causa miseri sumus.

Ad 8. Neg. Quia natus est in æternitate, in qua non est prius ac posterius nisi ratione et ordine.

Ad 9. D. In processione, C. in natura N.

Ad 10. D. Secundum personalitatem, C. secundum essentiam N.

Hæc autem vix attigimus, utpote obsoleta et antiquata, ne nimii essemus. Ceterum qui ea evoluta vide cupit, audeat Petavium, Tournelium, etc. (3).

PROPOSITIO II. — *Verbum esse proprie Deum, Filium Dei et Patri consubstantiale ex traditione, invictissime ostenditur.*

Suppositis omnibus, quæ ex traditione retulimus ad ostendendam perpetuam fidem de Trinitate, nunc ex iisdem fontibus hæc speciatim adjicimus, quæ directe divinitatem Verbi seu Filii afficiunt.

Ac 1. quidem universalis ecclesiae fidei circa divinitatem Verbi seu Filii, et quidem primis duobus sæ-

(1) *Deus possedit me*, ut legitur Gen. IV, 1: *posedi hominem per Deum*. Plures patres, legentes hoc loco *condidit* vel *creavit*, collegit in vetere Itala Sabetier, Ord. s. Ben., vol. II. Attamen Eusebius Caesar, vir non suspectus, lib. III. *De eccles. theol.* cap. 2, in quo fuse de toto illo capite disputat, admonet, neminem aliorum interpretum *condidit* aut *creavit* adhibuisse, sed omnes constantem possedit. *Multum autem interest*, inquit, *inter creare et possidere, quod creatio ex communiori notione transitum significet ab eo quod non est ad id quod est; possessio vero rei existentis proprietatem in eo, qui possidet*.

(2) Cap. 1, Petavius, *De Trin.*, lib. II, cap. 4, § 10 et 11, Salomonem hoc loco sapientiam exhibere censet per prosopopœiam poetamicæ virginis instar ac reginæ, a Deo ante omnia genitæ ac procreata, et ex productione acquisita ac possesse. Hæc expositio etiam a Natali Alexandro in *Histor. ecclesiast.* scc. IV, dissertat. 42, admittitur; imo et a nonnullis veteribus patribus probatur. Attamen propter rationalistarum abusum non eam facile admittrem, eo vel magis, quod contraria expositio communis inter veteres patres sit.

(3) Petav. *De Trin.*, lib. III, cap. 9 et seqq.; Tournely, *De Trin.* quest. IV, art. 2, sect. 3.

culis, nempe usque ad Justinum Mart., quem unitarii per summam impudentiam dicunt primò hoc dogma invexisse, testes sunt Ireneus et Hegesippus, qui haereticos sui temporis, negantes Filii divinitatem, provocant ad contrarium ecclesiæ consensum. Ireneus enim *Contra hereses*, lib. I, cap. 10: *Ecclesia enim, inquit, per uniuersum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis et a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem omnipotentem... et in unum Iesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute* (1). Hegesippus testatur, apud Eusebium, se, cum Romam proficeretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eandemque audiisse doctrinam. *In singulis autem episcoporum successionibus et per singulas civitates eadem manent, quæ per legem ac prophetas et a Domino ipso prædicata sunt* (2). Hegesippus autem loquitur de eadem fidé, de qua Ireneus; *aequales enim erant*.

2. Testes sunt symbola seu fidei professiones. Celebre est illud, quod exhibet *Constitutiones Apostolice*, lib. VII, cap. IV, in quo sic fides in Christum exprimitur: *Et in unum Dominum J. C. unigenitum eius Filium, qui ante secula beneplacito Patris genitus est, non creatus; per quem omnia facta sunt in celis et in terra, visibilia et invisibilia* (3). Symbolum s. Greg. Thannaturgi jam dedimus.

3. Testes sunt martyres. In actis s. Ignatii, cum interrogasset Trajanus: *Quis est Theophorus?* Ignatius respondit: *Qui Christum habet in pectore... Unus est Deus... atque unus est Christus Jesus, Filius Dei unigenitus* (4). In actis s. Symphorose, respondet ipsa Hadriano: *Si pro nomine Christi Dei me incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro* (5), et in actis ss. Felicitatis et filiorum ejus, Martialis inter eos natu minimus sic respondet Publio: *Omnes, qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem aeternum mittentur* (6). Nescio an hoc philosophem rationalistis placeat. In actis s. Achati, hæc notatu digna sunt ad confundendos unitarios: *Quo discernere semper optabam (inquit preses), confessus es, erroris vestigie persuasione et legis. Habet ergo, ut dicas, Filium Deum?* Respondit Achatus: *Habet. Martianus ait: Quis est Filius Dei?* Respondit Achatus: *Verbum veritatis et gratiae... Nomen explanat. Respondit sanctus Achatus: Jesus Christus vocatur. Martianus ait: Ex qua, dic, uxore conceptus est?* Respondit s. Achatus: *Filius Dei. Verbum veritatis ex Dei corde processit.*

(1) Cfr. etiam lib. in, cap. 4, num. 2; et alibi s. r. p. haereticos provocat s. Martyr ad consensum ecclesiarum, ut lib. IV, cap. 55, num. 8; lib. V, cap. 20.

(2) Lib. IV, cap. 22.

(3) Notandum Cotelerium, levi nimis ratione dictum, existimasse adjectam huius vocem à christis, non creatum, eo quod ibid. cap. 56, pag. 519, Sapientia a Deo condita dicitur; cum tamen certum sit, ab Athenagoro, Origenem aliquis Filium conceptus verbis in creatum dicit, dum alibi tradunt Sapientiam conditam juxta lectionem græcam Prov. VIII. Cir. Maran. tom. II, cap. 3, num. 2.

(4) Apud Ruinart, *Acta Martyrum sincera*, pag. 45 edit. Amstelod. 1713.

(5) Ib. pag. 24.

(6) Ib. pag. 27.

PERRONE, L.

Ideo scriptum est: *Eructavit cor meum Verbum bonum* (1). Et ista sufficient, in quibus profecto nullæ metaphoræ, nulla philosophemata inveniuntur, sed fides quam edocit ab ecclesia erant.

4. Haeretici, iudei et pagani testes pariter sunt receptæ fidei in universa ecclesia duobus prioribus sculis circa Filii divinitatem. Haeretici enim, cum ipsis objiceretur publica apostolorum doctrina de Filio Dei carnem indutu, non negabant, sed, ut faciunt nostri rationalistæ, se apostolis ipsis adæquabant, uno preferebat, aut eos alia publice, alia secreto dicebant prædicasse; publicam illam et communem traditionem ecclesiæ relinquunt, arcanam sibi arrogabant. Sic testantur Ireneus et Tertullianus; Ireneus enim lib. III, cap. II, inquit: *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem presbyterorum in Ecclesiæ custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inventisse fidem*; et Tertullianus *De presc.* cap. XXII: *Solent dicere, inquit, non omnia apostoli scisse; eadem agitati denientia, quæ rursus converunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse* (2). Eadem semper impiorum et haereticorum agendi ratio. Huc etiam referri debent sectæ omnes antiquissimæ nazariæorum, doctariorum, etc. quæ omnes miro consensu professæ sunt Filii divinitatem, si obscuros excipiæ eosque paucos ebionitas, de quibus superius diximus.

Quod spectat ad Judæos, ut antiquiores prætermittamus, de quibus in propos. II (3), recentiores etiam

(1) Ibid. p. 154. Alia non pauca exempla in actis martyrum occurrunt hujus fidei in divinitatem Christi; quæ ibid. videri possunt, præsentim in actis martyrum Scillitanorum ex MS. Colberino, pag. 88, ubi Donata hoc præclarum dedit Christo testimonium: *Popularem Cæsari reddimus; timorem autem a cultum Christo Deo vero præstamus*. Hæc autem aliaque similia ingenua testimonia ad figuræ aut metaphoras detorquunt nullo modo possunt. Hæc propterea responsa publica, data coram tyrrannis, monumenta sunt inelegitabili fidei ecclesiæ circa præcipuum hunc articulum.

(2) Legi meretur integrum caput 22 *Præscript.* in quo eloquentissime Tertullianus haereticos illos confundit. Ex hac porro haereticorum responsione duo colliguntur maximi momenti, ac 1. quidem eamdem de Verbi divini incarnatione fidem in omnibus ecclesiis viguisse; 2. hanc fidem a Christo et apostolis traditam; cum enim aliter non possent se subducere a ponderis hujus argumenti de universa et constantiæ publica traditione atque universa et unanimi totius ecclesiæ professione, cogebantur recurrere ad aliam secretam traditionem, sibi solis cognitam. Ni mirum nondum invenierunt effugient figuræ et metaphores ceterasque subtilitates nostrorum haereticorum seu incredulorum.

(3) Superioris eorum verba attulimus. Præstat nonnulla hic afferre ex iis, que veteres iudei opponebant christianæ doctrinæ circa hunc articulum, quæque labentur in duobus primis libris ab Origene scriptis contra Celsum, siquidem illi iudicium loquentem inducit, in cuius persona iudiciorum dictoria prouin. Inter cetera hic personatus iudicatus lib. I, nom. 57, sic Christum compellat: *Si quisquis singulari Dei providentia genius est, hunc Filium Dei esse dicas, quia te præstas ceteris?* Num. 66, quarti per jocum in

{Dix. huius}